



Repetitio Clem. I. Ut Clericorum De Officio Ordinarii

Aufréri, Étienne

Leodii, 1702

Quarta Quæstio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63069](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63069)

uxore & familia Clericorum. Vide extens, 2.
& 3. in reg. 2. infra.

Privilegium domini an ad familiam extendatur, latè tradit Felinus in cap. Nullus. de foro competenti. Usq. relictus merito etiam competit uxori, & maritus stipulans pro se alimenta etiam uxori stipulatus censetur. Vide Pignolum ad sing. 353. Romani. Mattheus Boyss D.

QUARTA QUÆSTIO.

93 Quarto principaliter quaeritur nonquid saltem ex Ecclesiæ delegatione iudici Laico licitum sit de causis etiam criminalibus Clericorum cognoscere.

Et videtur primo quod sic per glos. 1. §. vers. 32. di. ubi Papa mandat Rudolpho & Bertulpho inter alia, quod officium symoniacorum & in fornicatione jacentium scientemullo modo recipiant, & quantum possint tales à sanctis ministeriis, ubi oportuerit, prohibeant, arguit ex his dictam glo. quod Laicus de mandato superioris potest suspendere Clericos & excommunicare: quia excommunicatio est potius jurisdictionis quam ordinis. arg. cap. transmissam. de ele. nam electioni possunt interesse. 43. di. cap. Adrianus & cap. in synodo. & ar. 96. di. cap. bene quidem & cap. nos ad fidem & causis matrimonialibus. 35. qu. 5. cap. ad sedem circa medium. & 2. q. 5. cap. mennam. tamen Bar. brix. in præalle. §. verum. dicit hoc alienum à Laico, cum de spiritualibus se non intromittat, ut in cap. decernimus. de judi. immo ut ibi dicitur, prohibetur praelatis, ut talia Laicis non committant: tamen Dominus Papa, qui habet plenitudinem potestatis, eis bene posset committere, ut excommunicarent.

ii Glo. vero in præalle. cap. decernimus, super verbo præsumant. dicit quod Laicis delegari possunt

sunt causæ pecuniariæ, sive huiusmodi merè civiles, ut hic colligitur: & ita vidi alias servari in curia Archiepiscopali Tholosæ: ubi notarij causarum civilium erant commissarij usque ad sententiam exclusivè, secundum Stylum & statuta ipsius curiæ, quod tamen hodie sublatum est propter abusus & exactiones indebitas ipsorum notariorum, qui delationes immo detatas & superfluas, ut processum inculcarent, concedebant, & alia plura faciebant scripta difficilia in Laicos, etiam de talibus causis civilibus potest compromitti. *cap. exposita de arb*

Papa vero & civiles, & criminales, & spirituales, potest delegare Laico *art. in præalleg. §. verum ca. Mennam & 63 distinct. in synodo &c. Adrianus & 10 q. 3. cap. illud idem Henr. in cap. at si Clerici. dicens Clericum posse distringi per iudicem sæcularem ex commissione sive ex delegatione Papæ, sive agatur criminaliter sive civiliter, ad hoc alleg. 22 distinct. cap. ad hæc & ibi not. Ioan. Hosti. Io. An. & Sicul. in cap. 2. de judi. & Archi. cap. ab arbitris de offi. dele. libr. 6. Bal. in l. rescripta C. de præci. impe. offe. Ioan. fa. in auth. statui-
mus C. de Epi. & Clem. per Ioan. And. in cap. unico de Clem. conjuga lib. 6.*

Sed contra videtur, quod nedum Episcopus possit, immo teneatur committere. *11 q. 1. cap. te quidam gloss. remittit ad no. in cap. contingit de arbi. Sed ibi rectè non solvit, ut dicit Sicul. in præalleg. cap. decernimus in 1. colum. Sed secundum eum primo dicendum est, quod illud cap. loquitur de causis non spectantibus ad Ecclesiam, quas Episcopus debet Laicis dimittere. de judi. cap. novit. & ita ibi glo. no. Vel dicendum secundum Io. An. post Tan. quod dictum cap. decernimus loquitur secundum consuetudinem reprobata. cap. ad nostram de consue.*

Et

Et sic concludit idem Sicul. ex glo. prædicta quod
vid. Socini. iij. Regul. iur. 80. causæ civiles Clericorum possunt Laicis delegari; sed
 non spirituales vel criminales, *alleg. no. 96 distinct. cap. bene quidem & 95 distinct. cap. pervenit & præalle.*
S. verum, qui dicit Episcopum non posse Laico de-
 mandare potestatem excommunicandi. Sed Papa sic:
 quod etiam hic tenent doctores, & quæ possit Papa vel
 Episcopus delegare, remittit ad glo. *in præalleg. c. perve-*
nit & Inno. & alios in c. quanto de consue. ubi plene
 Fran. limitat hoc dictum glo. quod Episcopus possit de-
 legare Laicis causas civiles Clericorum, quando Clerici
 non inveniuntur idonei: alias non *alle. cap. relatum*
ne Clem. vel mona. & de reli. do. cap. inter quatuor quæ
 iura hoc non bene probant.

Vnde Ioan. de Ligna. Bal. & communiter doctores
 moderni tenent oppositum dicentes, quod licet hoc
 sit æquum, non tamen necessarium maxime si com-
 mittitur nudus articulus. *ar. ejus quod no. glo. & Antho.*
in cap. statutum §. 1. de rescrip. lib. 6. in glo. in ver. Io.
& Guill. in specu. de lega. §. si. vers. quid si certus arti-
 94 *culus.* Non obstat. *cap. significasti. de foro comp.* ubi pa-
 tet quod in iudicem Laicum Clericus consentire non
 potest, etiam cum licentia Episcopi; quia illud in-
 telligitur quando Clericus vult jurisdictionem iudicis
 Laici prorogare; hic loquitur quando Episcopus vult
 delegare. primum non potest, ut ibi, sed secundum
 sic: Et hæc est ratio diversitatis; quod in proroga-
 tione iudex judicaret jure proprio: & si contingeret
 appellare ad superiorem ipsius Laici appellaretur, &
 sic Clericus judicaretur à laico, sed in delegatione se-
 cus: quia *delegatus* utitur jure & vice delegantis, &
 sic ista jurisdictio Ecclesiastica, cum delegatus nihil
 habeat jure proprio, *ut l. 1. ff. de offic. ejus cui man.*
est jurisdictio & in cap. p. & g. & cap. sanè. de offi. dele.

& ab isto appellare debet ad Episcopum delegantem, hæc sunt verba Sicul. *in prælle. ca. decernimus ad quod cap. ubi majus periculum de ele. lib. 6. & Cle. ne Romani. de ele. supra* ubi domini temporales possunt includere Cardinales pro electione summi Pontificis: & hoc faciunt ex Ecclesiæ commissione. Ex quibus talem elicio conclusionem.

CONCLUSIO NONA.

Laico judici de causis etiam criminalibus Clericorum ~~ex~~ Ecclesiæ delegatione licitum est cognoscere.

Hinc est quod in præfenti regno ex privi- **vi.**
legio sine delegatione Papæ, iudices sæculares cognoscunt contra Clericos de portu armorum. De offensa facta officiarijs offician-
do, quando jurisdictio regia usurpatur, & de infractione salvagardiæ, & quibusdam alijs casibus quos dicunt privilegiatos: eos tamen propterea corporaliter non puniunt, sed solum pecuniariter, & forte executio hujusmodi pænæ pecuniariæ poterit fieri in bonis immobilibus Clerici per ipsum iudicem secularem, vel distringendo fidejussores, quos dedit. C. *qui accusa, non possunt l. 3.*

Præterea quod Papa possit hujusmodi delega- **vii**
tionem facere, probari videtur ex eo quod concludit Franc. de Zaba. *in repetitione cap. perpendimus. de sen. exco.*

132 REPETITIO CLEM. I.

excom. videlicet quod Papa potest etiam sine causa auferre privilegium immunitatis personæ Clerici : quia illud concessum est Clerico per cap. si quis suadente. ut quod surgit à jure positivo. Papa autem tollere potest jus positivum *de concess. præbend. cap. proposuit.* quod tamen limitat, quo ad unum vel plures Clericos in particulari.

ADDE

Papa potest in aliqua causa Clericum seculari judici subicere. Menochius retinenda remedio 3 n. 400. citat Cassaneum in consuetudi Burgundi. §. 5. Rub. I. n. 48. Matthæus Boys D.

Sed non quo ad omnes Clericos, quia tunc secus cum illud esset immutare statum universalis Ecclesiæ, quod Papa facere non potest sine causa, hic est sententia glossatoris. in cap. literas. de resti. spoli. in præalle. cap. proposuit. cap. quæ ad perpetuam. 25. qu. 1. §. his omnibus 8. qu. 1. not. Inno. in cap. quarto. de consue. & Specu. tit. delega. sub rubrica de dispensatione. §. nunc breviter ad finem. Sed per sublationem hujusmodi privilegii & ejus observationem immutaretur generalis status Ecclesiæ ergo &c.

Insuper Papa statuere non potest id, ex quo constat, vel saltem vehementer præsumitur statum Ecclesiæ perturbari : ista est sententia, glo. in cap. prin. 4. q. 3. & Inno. de sen. excommunic. cap. inquisitioni. Et Papa non potest id facere per quod declaratur status Ecclesiæ universalis. tex. not. 1. qu. 7. cap. & si illa, ex quo concludit Sicul. in alleg.

alleg. cap. proposuit Papam non posse sine causa dare potestatem alicui principi seculari ut possit judicare inter Clericos : maxime cum , ut sæpe dictum est , privilegium istud sit de jure divino : idem voluit ipse Sicul. post Inno. *in cap. 2. de mayo. & obedi.*

Dicit tamen Franc. *in præalleg. cap. perpendimus.* ix
se putare , quod privilegium *dicti. cap. si quis sua-*
dente , ex causa per Papam tolli possit etiam quo ad
omnes ; cum sit de jure positivo.

Sed cum hoc sit arduum , debet hoc facere , cum consilio Cardinalium , per id quod dicit *no. Ioan. mo. in cap. super eo, de hære. lib. 6.* ubi dicit quod cæ-
tus Cardinalium est in possessione ; ut Papa non fa-
ciat aliquid arduum sine eorum consilio. Decet enim
ut quod præcipit inferioribus prælatis de consilio capi-
tuli habendo de his quæ *fi. à præal. cap. novit. & cap. quanto* , & ipse in se observet. *ratione. l. digna vox. de legit. ad hoc 12. qu. 2. cap. non liceat Pape.* quia in-
decens quo ad minores reputatur , impossibile quo ad principem , & sic dicunt etiam theologi , indecens Deo est impossibile. *Paul. de castro consilio 284. 3. colum.* dicit quod licet consueverit Papa omnia expedire de consilio Cardinalium , non tamen de necessitate tenetur , si non vult , quia non potest sibi dici ; cur ita facis *de pœni. disti. 3. §. ex persona* , & ita not. dicit. *in cap. qd Apostolica de re. judi. lib. 6. & in cap. 2. de Cle, non resid. de officio ordina. cap. quamvis per Archi. in glo. tria facit , & in cap. fundamenta. de elec. libr. 6. in glo. illa super verbo contigerit. & in extravag. Ioan. 22. quæ incipit excitabilis in glo. quæ incipit scilicet Cardinalium.* idem Bal. *in præju. feudorum fol. 3. 1. column. vers. aliqua. colleg. 10.*

Nec

134 REPETITIO CLEM. I.

Nec obstat si dicatur, quod etiam cum consensu
 97 Cardinalium hoc non possit; quia, *cap. si quis sua-*
dente. habet vim contractus vel quasi. Modo ubi statu-
 x tum transivit in contractum, illud est irrevocabile.
cap. novit. de judi. & ibi Innoc. & doct. Bart. in l. om-
nes populi ff. de iusti, & jur. & l. penul. ff. de decr.
ab ordi. faci. Sicul. in cap. in nostra, de iniur. ubi dicit
 post Bart. quod si civitas statutum fecerit, quod quicun-
 que venerit ad villam inhabitandam, ille sit immu-
 nis à gabella, non potest amplius illud revocari
 in præjudicium illorum qui jam venerunt, quia jam
 transivit in contractum seu quasi, & idem Inno in
præallegato cap. novit. dicens, quod licet Imperator
 revocet legem, per quam concessum est privile-
 gium Ecclesiæ, non propterea censetur revocatum pri-
 vilegium.

98 Ad præmissa respondet ipse Franc. ubi supra di-
 cens, quod quandoque privilegium conceditur in
 xj. subditum ex dispositione legis vel statuti, & tunc
 potest tolli, sicut ipsa lex. *l. statutum* pro hoc
glo. & Inno. in præalle. cap. in nostra. Dicit ibi Inno
 quod statutum factum per communem, per quod
 se obligant singulares de universitate, potest tolli ab
 his qui regunt civitatem, per regulam primam de
 re. jur. quod est singulare, & probatur in *distinct.*
cap. ju. nostra secundum unam lec.

xij Bald. in *l. qui se patris C. unde lib. 7. colum.*
cir. med. dicit speciale in principe, ut possit suum
 privilegium revocare, etiamsi alteri sit jus quæsi-
 tum etiam sine causa ut *qui fundos. C. de omni a-*
gro des. lib. II sed si non est privilegium, scilicet
 conventio, tunc non potest revocare nisi secun-
 dum ipsius rei naturam, ut *l. fundi de fundis pa-*
trim.

prim. C. eo lib. unde si princeps recipit precium, significat venditionem, & si uteretur verbo, indulgemus, vel simili verbo, ita quod esset irrevocabilis contractus: & non privilegium *arg. de prædi. curia l. si. libr. 10* & hoc tenet Nico. Matha. *C. de Iustin. Cod. contra. Guiller. de Suza.* qui dicebat, quod Imperator non potest revocare privilegium antecessorum, nec proprium ex quo est efficaciter jus quæsitum, dicens quod per revocationem fieret alijs injuria: quæ maximè a princ. debet esse remota. *ff. de vul. subs. ar. l. ex fa. & ff. de aqua quotidie l. 1. §. permittitur & C. unde vi. l. meminere. Fa.* quia licet Imperator habeat plenitudinem potestatis, & Deus sibi leges subjecerit, non tamen subjecit eidem contractus ex quibus obligatur, ut nota. traditur *in l. digna vox. C. de legi.* & dicit Bald. *in titu. de natura feu. in princ. in usi. feu. col. 10* dicens insuper ibidem, quod Papa non potest suppressere dignitatem, donec superest persona quæ præest dignitati nisi ex causa magna.

A D D E

Princeps an privilegium suum datum revocet, quando abijt in vim contractus. Item an successor prædecessoris privilegium vel contractum revocet vel tollat. Gabriellus de jure quæsito non tollendo. In commun. opinio. egregiè explicent. Rebuffus in concordantijs Gallie in rub. de collationibus, ubi refert 12. rationes, quare Princeps non possit contractum revocare. Et quod successor

136 REPETIT. CLEM. I.

cessor ligetur prædecessoris contractu. Fallit in Principe ex quatuor causis, inter quas est, quod ex magna & justa causa publica revocatio fieri possit: quas tradit Antonius Nicellus in concordantijs glossarum juris civilis & Canonici, concordantia ultima. Vide Gabrielium latissimè in communib. opinionibus conclu. 5. 6. 7. De jure quasito non tollendo. Matthæus Boyss Doctor.

Vnde dicit Ioan. Andr. quod Cælestinus frater Petr. de Marone de mane faciebat gratiam, & vesperi auferebat, & alij conferebat: Unde Cardinales, licet scirent quod Papatui renunciaret per fatuitatem, tamen quia erat unum pecus libenter ejus renunciationem acceptaverunt, & creaverunt Bonifacium VIII. qui depingitur.

Vulpes introitu, leo in accubitu, & canis in occasu suo.

De quo supra dictum est in 3. quæsito evidentiali in fine num, 59

xij Sed Nicolaus prædictus non credit, illud dictum Guilher. de Suza esse verum, quia non facit injuriam, cum nullo jure sit obligatus, concedens privilegium hoc servare: nam sicut lex potest revocari, ita & rescriptum & statutum, ut patet. *C. de sacrosanct. Ecclesiis. authen.* quas actiones, nisi prætextu concessionis concedens aliquid sit lucratus, puta aliquam donationem vel factum quæ habeant perpetuam commensurationem cum re

con-

concessa, nam tunc non potest revocare, quia committeret dolum, ut ff. de dolo l. si cum mihi. Vide tamen in contrarium quod notat Bart. in l. si servus. in princ. de condi. fur. & Bal. in l. si. C. de actio. empti & ven. & ibi Alex. de Imol.

Aliquando confertur privilegium in non-subditum, & tunc non potest tolli nec tollitur revocata, l. vel statuto scilicet per quod fuit concessum, & sic loquitur Inno. in præalleg. cap. novit. Et est ratio, quia in non-subditum non potest transire tanquam lex ff. de jure om. judi. l. si. & de consti. cap. 1. lib. 6. transit ergo tanquam quasi contractus ex quo non-subditus acceperat instar donationis; sed contractus non potest dissolvi sine consensu utriusque contrahentium. ff. de pact. l. ab emptione de Spon. cap. 2. & in cap. 1. de regu. jur.

Ad gloss. Inno. in cap. dilectus de tempo. ord. dicit quod Episcopus non potest dispensare contra sua statuta, per quæ jus est acquisitum alteri, licet possit ea tollere, dicit idem Franc. quod debet intelligi secundum præmissa. Sed in eo quod dicit quod antequam sit alteri jus acquisitum, quod possit dispensare contra sua jura, & quod est fortius, secundum eum potest Papa mutando statum universalis Ecclesiæ, quod ultimum multum repugnat supradictis.

Sed intellige quod Papa potest mutare statum Ecclesiæ, dum tamen non per omnia, 99 sed oportet, ut prædixi, cum hoc sit arduum, quod cum

cum consilio collegii Cardinalium, hoc faciat *gloss.* verbo *Inno. in dicto cap. dilectus*, intelligitur si alteri sit jus quæsitum, non potest conditor statuti vel canonis dispensare, id est, non potest facere sola voluntate, ut contraveniens non incidat in statutum, & hoc stante statuto, si contra statutum concedit Privilegium & statutum disponit super eo quod non est prohibitum. & sic loquitur *gloss. Innocent. in cap. cum ad monasterium de statu regula*. Et per hoc patet Papam tollere posse privilegium: *cap. si quis suadente*. quo ad unum vel plures Clericos, sed non quo ad omnes.

XV
100 Quis autem Papa privilegium fori non possit revocare? pro hoc *gloss. sapius alle. in cap. si Imperator. 96. di. tenet Lud. in singula. vers. Papa. vers. quero nunquid*, & secundum eundem Francisc. & Sicul. in locis præalle, & ex his quæ supradicta sunt, cum tale privilegium sit de jure divino, quod est jus non ceremoniale sed morale, patet quod contra dictam legem divinam Papa non dispensat, debet enim potius usque ad animam & sanguinem defendere, 25 *question. 1. cap. sunt quedam*, & quod ibi exponit Lau. id est usque ad omnes conatus, pro hoc e. *cap. & question. cap. quæ ad perpetuam*, & quod no. de consue. *cap. per eundem Fran.*

A D D E.

An Papa possit privilegium fori revocare, negat id Romanus *sing. 419. Sed an potest Papa ubi nota quod Gab. Sar. in Additionibus duas regulas constituat quando Clericus coram*
secu-

seculari conveniri possit in Civili vel criminali causa, cum limitationibus. 32, quas ex ordine desumpsit ex hoc authore. ex regul. 2. Matthæus Boyß Doct.

Nam sicut dictum est non potest Papa dispensare, in eo propter quod decoloraretur status universalis Ecclesiæ, ut in *cap. & si illa 1. quest. 7.* quod est verum si ex toto veller mutare, quod non posset etiam cum consilio Cardinalium, nam hoc faciendo convinceretur errare, ut dicto. *cap. sunt quidam. in fi.* ubi optime probatur. Sed quo ad unum vel aliquos Clericos in particulari, bene potest. 34. *di. cap. lector. & quod not. Archi. in d. cap. sunt quedam.* pro hoc *cap. 1. de vit. & hon. cle. lib. 6.* quod no. Inno. in *cap. inquisitionem de sent. excom.* ubi dicit Papæ non esse obediendum, quando vehementer præsumitur ex præcepto perturbari statum Ecclesiæ de quo per *Ludo. consilio. 480.* & idem tenet Sicut in *præalleg. cap. inquisitionem.*

Resolutivè idem Fran. concludit ad quæstionem: 102
an, & quando privilegium alicui concessum tolli
possit seu removeri, quod quandoque quæritur de
privilegio quod est de jure divino, aliquando de
privilegio quod est de jure positivo. De primo
dicit quod aut is qui vult eum tollere vel revocare,
est inferior à Papa & indistincte non potest, solus
enim Papa est Dei vicarius in terris: *de transla. cap. 1. quia solus vocatus est in plenitudinem potestatis.*
cap. ad honorem. de usu. pallii. Aut. est papa. Et
dic quod aut vult tollere ex toto: & non potest.
Aut in parte & potest: ideo quia quando in parte,
hoc est potius interpretari, quam tollere, quod potest

sic enim interpretantur illa verba, In ore duorum
vel trium, &c. *de testim. cap. in omni negotio.*

ADDE

*An privilegium alicui concessum tolli posset
per principem, vide Portium in commu. opinionibus
li. 5. conclus. 19. & eo Cottam in verbo
princeps. in memorabilibus, Gabrielium in com-
mu. opin. conclus. 5. 6. 7. de jure quaesito non
tollendo. Antonium Nicellum in concordant. ult.
glossarum juris civilis & canonici. Et Tiraquell,
de penis mitigan. in proemio. Matth. Boyss. Doct.*

De secundo, quando privilegium est de jure posi-
tium, dic quod aut fuit concessum non-subdito,
aut subdito primo casu. Aut non est ab eo accep-
tatum, aut sic. Si non, potest tolli libera vo-
luntate concedentis, quia potest poenitere re in-
tegra, ex quo de nullius agitur praedictio, ut
in regula juris, quod semel placuit *de regul. ju-
ris lib. 6.* Si autem fuit ab eo acceptatum, non
potest tolli per gloss. Inno. in praedictis. cap. novit.
quod ibidem approbat Sicut. dicens, quod habet
suam vim in continenti, cum pervenerit in noti-
ciam privilegiati ut in cap. 1. §. ex parte de condes.
præben. lib. 6. & sic non potest amplius revocari,
cum sit jus quaesitum & concedens non est dominus
superior, idem tenet Archi in cnp. quicumque 11
quaest. 1. argum. in l. perfecta. C. de donat. quæ sub
mo. ubi donatio semel perfecta non revocatur, &
Ioan. An. in cap. constitutus. de rel. do. idem tenet
Pau. consi. 285 2. col. idem Sicut. consi. suo 413. col.
cir

cit. fi. Idem Ho. in sum. in tit. de privi. §. qualiter. ver. quid si ille. Spe. in tit. de instrum. edi. §. nunc autem. ver. quid si Imperator. Io. Ea. insti. de jure natu. §. sed naturalia per Bal. in tit. de natura, feu. col. 10. facit quod no. Bar. in l. pe. ff. de decre. ab or. faciem.

Si autem privilegium fuit concessum subdito ; aut quærit , an possit tolli quo ad effectum consummatum , aut quo ad non consummatum. Primo casu aut per consummationem sortitur naturam eorum quæ sunt de jure naturali vel gentium. Aut remansit in sua natura. Primo casu non potest tolli etiam à Principe sine causa , sic etiam non tollitur jus gentium *de consti. cap. quæ in Ecclesiarum per Inno. & Sicul.* ut si per privilegium concedatur dominium alicujus rei , tale non potest revocari : sicut nec dominium sine causa tolli nequibit ut not. in dicto cap. quæ in Ecclesiarum. & in locis alle. Cy. Bar. Bal. & Sal. in l. fi. C. si cont. jus. vel ult. publ

Si autem privilegium remansit in sua natura juris positivi , ut circa privilegium fiat limitatio , dic quod aut quæritur de principe , aut de inferioribus. Si de Principe aut de Imperatore , aut de Papa ; si de Imperatore , dici posset quod in spiritualibus non potest intromittere. *de consti. cap. Ecclesia sanctæ Mariæ. Sed in temporalibus sic.*

Dic tamen melius quod in his quæ cadunt sub potestatem Imperatoris eadem juris dispositio locum habet quæ in Papa idem Ab. Sicul. in cap. quæ in Ecclesiarum allegato. De Papa verò dicit idem Franc. ubi supra : quod aut vult tollere in totum , aut in parte. Si in totum , aut per hoc mutatur status u-

niversalis Ecclesiæ, & non potest etiam cum Cardinalibus. Aut non ex toto, & potest cum consilio Cardinalium, si est quid arduum, alias solus potest. Si autem in parte, & tunc solus Papa potest. sic etiam potest illegitimum legitimum facere, & contra *de cleri. conjuga. olim.* Si de inferioribus dicit quod non possunt per. *gloss. Inno. in cap. dilectus. de tempo. ordi.* Si vero quæritur quo ad effectum non consummatum, dic quod libera voluntate disponentis tolli potest, sic loquitur. *cap. in nostra. de injuriis & gloss. ibi,* & sic potest intelligi *gloss. Inno. in præallega. cap. cum ad monasterium secundum. Fran.*

Ex his igitur patet evidenter quod ex quo Papa in parte tollere potest privilegium fori, & *cap. si quis suadente,* à fortiori poterit causas, civiles & criminales Clericorum sæcularibus Judicibus delegare, tunc enim cognoscent auctoritate delegantis, cujus jure funguntur, non jure proprio. Et ita etiam tenet idem Fran. in *præallega. cap. perpendimus,* in distinctione quam facit ad quætionem an, & quando Clericus possit à Laico Judice judicari, ita quod judicans Ecclesiasticam libertatem non dicatur violare,

QUINTA QUÆSTIO.

Quinto principaliter quæritur, an Episcopus vel alius Judex Ecclesiasticus laicum purum capere possit & carcerare pro crimine Ecclesiastico.

Et